

quidem vires a senectute. (Concedido que no tienen fuerzas los viejos: pe-
ro nadie les exige que las tengan). (Cic. Verr. 2. 1. 5). *CONFRINGAT iste
SANE vi sua consilia senatoria, quaestiones omnium PERRUMPAT, EVOLET ex
vestra severitate.*

2.º *Perfectum* indicat rem praeteritam vel futuram possibilem, vel quae
revera evenit. (Cic. Verr. 2. 1. 14). *Malus civis Cn. Carbo fuit: FUERIT
aliis; tibi quando esse coepit?* (Pase que lo fuera para otros; mas para ti
¿cuándo lo fué?). (Liv. 31. 7). *Ne AEQUAVERITIS Hannibali Philippum:
Pyrrho certe aequabitur.* (No igualéis, si os place, á Filipo con Anibal: al
menos lo igualaréis con Pirro).

3.º *Imperfectum et plusquamperfectum* res concedunt praesentes vel
praeteritas, quae tamen non sunt vel non fuerunt. (Cic. Off. 3. 19). *DA-
RES hanc vim M. Crasso; in foro, mihi crede, saltaret.* (Prueba de dar
este poder á M. Craso; y verás como se pone á saltar en el foro). (Virg.
Aen. 4. 600). *Verum anceps pugnae fuerat fortuna: FUISSET: quem timui
moritura?* (Fuéralo: ¿á quién había de temer estando para morir?).

CAPUT XIII

QUAE VERBA CUM QUIBUS MODIS COPULENTUR.

378. N. B. Multa sunt verba quibus membrum orationis subicitur, quod nomina-
tivi vel accusativi locum supplet (1). Quae propositiones hispane quidem nulla inter-
jecta particula nonnumquam copulantur, saepissime ope conjunctionis *que*; latine ve-
ro ipsas tripliciter potissimum interpretamur: 1.º infinito; 2.º subiunctivo cum parti-
culis *ut, ne, quominus, quin*; 3.º indicativo cum *quod*.

ARTICULUS I. VERBA CUM INFINITO

§ I. QUAE VERBA POSTULENT INFINITUM

379. Interdum loco nominativi membrum orationis infinitae ha-
bent [223]:

1.º Verba impersonalia *licet, libet, oportet, decet, placet, displicet, ap-
paret, fugit, praeterit, fallit, latet, poentet, pudet, taedet, etc.* (Cic. Phil.
13. 6). *LICET nemini contra patriam exercitum DUCERE.* (Id. Att. 7. 18).
De Dionysio FUGIT me ad te antea SCRIBERE. (Id. Fam. 15, 65). *Non me
PRAETERIT, nos eam rem Ephesi EXPERTOS ESSE.* (Id. Orat. 67). *Quem,*

(1) Si propositio haec quae alteri subicitur, gerit vices nominativi (vel subjecti),
vocari solet *subjectiva*; *objectiva* vero, si est complementum (vel objectum) principis
verbi.

quaeso, nostrum FEFELLIT, ita vos ESSE FACTUROS? (Id. Phil. 2. 34). *Non
dissimulat, Patres Conscripti, APPARET ESSE COMMOTUM, sudat, pallet.*

2.º Verba passiva *videtur, dicitur, fertur, traditur, etc.* (Cic. Tusc. 5.
5). *Non mihi VIDETUR ad beate vivendum satis POSSE virtutem.* (Id. Amic.
15). *Tarquinius DIXISSE FERTUR.* (Vid. n. 381. N. B. 7.º).

N. B. Cum verbo *videor* saepe infinitus desideratur. (Cic. Att. 12. 28). *Velim aliquando,
quum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis QUAE tibi VIDEBITUR
attribuas (deest attribuenda esse).* (id. ib. 30). *Pueros attribue ei QUOT ET QUOS VIDEBITUR
(deest attribuendos esse).* (Caes. B. G. 4. 8). *Ad haec Caesar QUAE VISUM EST respondit.* (Á
esto contestó César lo que le pareció).

3.º Substantiva et adjectiva adjuncta verbo *sum*: v. g. *opus est, necesse
est, scelus est, etc.* (Cic. Fam. 16. 14). *Nunc OPUS EST te animo VALERE,
ut corpore possis* (Sen. Vit. 1. 15). *Deo SERVIRE LIBERTAS EST.* (Cic. Att.
13. 28). *Quam enim turpis est assentatio, quum VIVERE ipsum TURPE SIT
nobis.* (Hor. Od. 3. 2. 13). *DULCE et DECORUM EST pro patria MORI.* (Cic.
Att. 8. 2). *(Patria) pro qua et in qua MORI PRAECLARUM EST.* [350] (Cf.
n. 387. N. B. 1.º).

380. Infinitum verbum post se postulant pro accusativo cum eodem
fere subjecto:

1.º Verba servilia.

Soleo (soler). (Cic. Att. 1. 18). Sextus nummos vobis dividere solebat.
Coepi (comenzar). (Cic. Att. 1. 4). Si quando abundare coepero.
Debeo (deber). (Cic. Or. 21). Magni iudicii esse debet orator ille.
Desino (dejar de). (Cic. Fam. 2. 9). Non desinam tua decreta defendere.
Incipio (empezar á). (Cic. Tusc. 1. 43). Incipere mortem optare.
Possum (poder). (C. c. Phil. 2. 10). Quantum facere enitique potui.
Queo (poder). (Cic. Fam. 14. 4). Non queo reliqua scribere.
Nequeo (no poder). (Cic. Som. Scip. 5). Solem adversum intueri nequitis.

2.º Verba incipiendi.

Aggredior (comenzar á). (Sall. Jug. 9). Jugurtiam beneficiis vincere aggressus est.
Exordior (comenzar á). (Cic. Div. 2. 48). Tum exorsus sum dicere.
Ingredior (empezar á). (Cic. Acad. 1. 1). Sum ingressus eas res mandare monumentis.
Instituo pro incipio. (Cic. Fam. 7. 1). Institui Topica conscribere.
Ordior (empezar á). (Cic. Brut. 6). De eloquentia disputare ordimur.

3.º Verba perseverandi.

Consuesco (acostumbrar). (Cic. de Or. 1. 61). Demosthenes multos versus pronuntia-
re consuescebat.
Pergo pro persevero (perseverar). (Cic. de Or. 2. 71). Conficere pergas.
Persevero (perseverar en). (Caes. B. C. 2. 14). Fugere perseveravit.
Persto (persistir en). (Cic. Fin. 2. 33). Si persistiteris ea referre.
Assuetus (acostumbrado á). (Virg. Aen. 3. 514). Assuetus muros defendere bello.
Consuetus (acostumbrado á). (Cic. Tusc. 2. 21). Consuetus in armis aetatem agere.
Insuetus (no acostumbrado á). (Liv. 31. 48). Insuetus vera audire.

4.º Verba desinendi.

Absisto (desistir de). (Virg. Aen. 6. 399). Absiste moveri.
Cesso pro desino. (Cic. Att. 11. 14). Ille non cessat de nobis detrahere.
Fugio (poët.) (dejar de). (Hor. Od. 1. 9. 43). Quid sit futurum eras fuge quaerere.
Mitto (poët.) (cesar de). (Ov. Met. 3. 614). Pro nobis mitte precari.

Omitto (*cesar de*). (Cic. Brut. 76). Itaque omitamus legere.
Parco (poët). (*dejar de*). (Virg. Ecl. 3. 94). Parcite, oves, nimium procedere.
 5.º Verba *festinandi* aut *morandi*.
Matũro (*apresurarse a*). (Cic. Att. 4. 1). Oro ut matures venire.
Moror (*detenerse en*). (Cic. Phil. 5. 42). En cui bellum moremur inferre.
Propẽro (*apresurarse a*). (Cic. Prov. Cons. 5. 44). Si in patriam redire properaret.
Supersedeo (*d'jar de*). (Liv. 21. 40). Supersedissem loqui apud vos.
 6.º Verba quibus *voluntatis prosequutio* aut *fuga* significatur.
Volo (*querer*). (Cic. Att. 4. 18). Volo te hoc scire (n. 388. 3.º).
Malo (*querer más*). (Cic. Tusc. 9. 4). Continentem orationem audire malo.
Cupio (*desear*). (Cic. Brut. 97). Te tua virtute frui cupimus.
Aveo (*desear*). (Cic. Att. 4. 15). Aveo scire quid agas.
Appẽto (*desear*). (Cic. Fin. 5. 20). Appetat animus aliquid agere semper.
Expẽto (*desear*). (Cic. Att. 2. 30). Nostram gloriam augeri expeto.
Exopto (*desear*). (Cic. Fam. 4. 6). Te exopto quamprimum videre.
Audeo (*atr. verse a*). (Cic. ad Brut. 4. 16). Aude negare.
Nolo (*no querer*). (Cic. Fam. 1. 7). Evolare altius noluerunt.
Recũso (*rehusar*). (Caes. B. G. 3. 22). Mori recusaret.
Erubescio (*avergonzarse de*). (Cic. Leg. 1. 49). Eri. bescunt etiam loqui de pudicitia.
Negligo (*despreciar*). (Cic. Phil. 3. 8). Diem edicti ob re neglexit.
Vereor (*temer*). (C. c. Leg. 1. 43). Vereor committere (n. 388. 4.º).
Timeo (*temer*). (Ov. Pont. 3. 4. 149). Quid adire times? (n. 388. 4.º).
Metuo (*temer*). (Cat. 64. 446). Nihil metuunt jurare (n. 388. 4.º).
 7.º Verba quae *animi decretum* significant.
Statuo (*determinar*). (Caes. B. C. 3. 86). Pompejus statuerat praelio decertare.
Decerno (*decretar*). (Cic. Att. 6. 6). Decreveram cum eo familiariter vivere.
Consilium capio vel *ineo* (*determinar*). (Nep. Lysand. 3). Consilia iniiit reges tollere.
Jubeo. (Cic. Att. 4. 44). Dionysium jube salvere. (*Saluda a Dionisio*).
 8.º Verba *conandi*.
Conor (*esforzarse en*). (Cic. Quint. 20). Conaris hoc dicere.
Nitor (*esforzarse por*). (Nep. Pelop. 2). Ut patriam recuperari niterentur.
Molior (*maquinar*). (Virg. Aen. 7. 427). Moliri agere tecta.
Studeo (*desear*). (Cic. Att. 43. 20). Scire studeo quid egeris.
Cogito (*pensar*). (Ter. Heaut. 3. 3. 46). Quid facere cogitas?
Meditor (*meditar*). (Cic. Phil. 2. 45). Mihi itos annos regnare meditatus.
Disco (*aprender*). (Sall. Jug. 107). Didicerat latine loqui.
Contendo pro *conor*. (Caes. B. G. 3. 45). Fuga salutem petere contenderunt.
Paro. (Caes. B. C. 4. 83). Munitiones institutas parat perficere. (*Se dispone a concluir las fortificaciones empezadas*).
In animo habeo. (Cic. Rosc. Am. 48). Istum exhaeredare in animo habebat. (*Habia resuelto desheredarle*).
Animum indũco (*resolver*). (Cic. Tusc. 5. 40). Inducant animum opes consternere.
 9.º Verba *recordandi* aut *obliviscendi*.
Memini (*acordarse*). (Cic. Fam. 3. 8). Non meminisse locum dari.
Recordor (*recordar*). (Cic. ad Brut. 4. 5). Hoc mihi placuisse potest recordari.
Obliviscor (*olvidarse de*). (Cic. Rosc. Com. 47). Obliviscor viros esse primarios.
 10.º Verba quaedam *passiva*.
Videor. (Cic. Att. 9. 40). Amens mihi fuisse videor. (*Me parece que fui loco*).
Putor. (C. c. Amic. 2). Atilius prudens esse putabatur. (*Atilio era tenido por prudente*).
Trador. (Cic. Sext. 67). Justissimus fuisse traditur. (*Dicese que fué muy justo*).
Perhibeor. (Cic. Tusc. 4. 42). Nuntii fuisse perhibentur. (*Se cuenta que hubo mensajeros*).
Feror. (Virg. Aen. 4. 49). Quam Juno fertur coluisse. (*Dicen que Juno la honró*).
Credor. (Ov. Trist. 3. 44. 73). Ne hoc tibi fingere credar. (*Para que no se crea que te engaño*).

381. Quae quidem, quum fere pro subjecto nominativum praecedentis verbi admittant, post se hunc etiam casum requirunt, quum res ad nominativum refertur; at si accusativus antecessit, quod saepe fit in verbis voluntatis, et sequatur necesse est. (Cic. N. D. 1. 36). *Nolo esse LONGUS*. (Ter. Adelph. 5. 6. 8). *Meditor esse AFFABILIS*. (Cic. Marcel. 7). *Malim videri nimis TIMIDUS, quam parum PRUDENS*. (Id. Cat. 1. 2). *Cupio, Patres Conscripti, ME esse CLEMENTEM; cupio in tantis reipublicae periculis ME non DISSOLUTUM videri*.

N. B. 1.º Verba *servilia* juncta infinitis verborum impersonalium, fiunt et ipsa impersonalia, cohaerent etiam cum nominativo verbi passivi, quum activa passivis commutantur (1); at verba *volo, nolo, malo* numquam fiunt impersonalia, nec subjectum mutant cum verbo passivo. (Cic. Att. 8. 5). *SOLET EUM POENITERE; (non is solet poenitere)*. (Id. Tusc. 4. 37). *Animorum nulla in terris ORIGO inveniri POTEST*. (Curt. Hist. 4. 3). *MALO ME fortunae POENITEAT, quam victoriae PUDEAT*. (Cic. Lig. 5). *Quum a te nemini IGNOSCI VELLENT*.

N. B. 2.º *Coepi ac desino* cum infinitis passivis modo activa, modo passiva voce in praeteritis usurpantur. (Liv. 2. 21). *Plebi injuriae a primoribus fieri COEPERE*. (Liv. 3. 38). *Contemni COEPTI ERANT a finitimis populis* (n. 440).

N. B. 3.º *Esse* et alia infinita verborum personalium, quae utrinque rectum habent, si adjungantur verbo *licet*, aut aliis, quae dativum postulant, ante se nihil, post se latino more accusativum, graeco more dativum admittunt. (Cic. Tusc. 4. 45). *Licuit OTIOSO esse Themistocli*. (id. Balb. 42). *Civi romano licet esse GADITANUM*.

N. B. 4.º Quum subjectum utriusque verbi non est idem, omnia quae diximus verba subjunctivum fere requirunt (n. 388 et 389).

N. B. 5.º *Censeo, decerno, statuo, constituo* modo participium futuri in *du*, modo subjunctivum admittunt. (Cic. Off. 1. 43). *Regulus captivos REDDENDOS non censuit*. (id. Verr. 7. 68). *Censeo magnopere DESISTAS*. Quod si subjectum utriusque verbi idem sit, fere infinitus usurpabitur.

N. B. 6.º *Volo, nolo, malo, cupio* pro infinito admittunt etiam participium praeteriti. (Cic. Fam. 3. 9). *Domestica te cura LEVATUM volo*. (Ter. Heaut. prol. 26). *Omnes ORATOS vos volo*. (Cic. Q. Fr. 3. 4). *Ea te cura LIBERATUM volo*. (id. Att. 8. 3). *Nulla est sedes quo concurrant, qui rempublicam DEFENSAM volunt*. Nisi quis dicat infinitum *esse desiderari* [421].

N. B. 7.º *Credor, dicor, feror, putor, videor* et similia, adjuncta infinitis verborum personalium, raro impersonaliter usurpantur, nisi in temporibus compositis. (Cic. Brut. 2). *Il mihi VIDENTUR fortunate beateque vivisse*. (id. Fam. 4. 5). *Ut quam gratissimus erga te esse COGNOSCERER*. (Ter. And. 4. 8. 799). *In hac habitasse platea DICTUM est Chrysidem*.

N. B. 8.º *Videor*, si non opinionem aut imbecillam assensionem, sed firmum animi placitum opportunitatemve significet, impersonaliter ponitur. (Cic. Sen. 4). *Nunc mihi VISUM EST, de senectute aliquid ad te scribere* (i. e.) mihi placuit, constitui, visum est opportunum.

382. Multis praeterea verbis pro complemento jungitur infinitus, cui necessario praeterea accusativus, cujus generis sunt:
 1.º Verba *sentiendi* et *cogitandi*.

Animadverto (*advertir*). (Cic. Fam. 3. 5). Animadverti enim te habuisse rationem.
Audior (*oir*). (Cic. de Orat. 2. 33). Ex Crasso audivi, quum diceret, sibi certum esse.
Comperio (*averiguar*). (Cic. Verr. 2. 4. 29). Ait se comperisse piratas esse venturos.

(1) Ideo *servilia* dicuntur, quia verbis personalibus personaliter, impersonalibus impersonaliter adhaerent.

Dico (*decir*). (Cic. Cat. 4. 4). Dico te venisse inter falcarios.
Ferre aegre (*llevar pesadamente*). (Cic. Tusc. 4. 27). Si quis aegre ferat se pauperem esse.

Gaudeo. (Cic. Amic. 4). Quem esse natum gaudemus. (*Nos alegramos de que haya nacido*).
Glorior (*gloriarse*). (Cic. Pis. 4). Is mihi etiam gloria bitur, se omnes honores obtinuisse.
Ignōro (*ignorar*). (Cic. Rep. 3. 18). Quis ignorabat Qu'ntum Pompejum fecisse foedus?
Laetor. (Cic. Rosc. Am. 47). Quae perfecta esse laetor. (*Me alegro de que esto se haya acabado*).

Memini (*me acuerdo*). (Cic. Verr. 6. 32). Memini Panfilum mihi narrare.
Sentio (*sentir*). (Cic. Tusc. 4. 23). Sentit animus se moveri.
Suspīcor (*sospechar*). (Cic. Att. 12. 42). Suspīcabar n'hil fuisse.
Video (*ver*). (Cic. Cat. 4. 1). Video oculos in me esse conversos.

2.º Verba dicendi et declarandi.

Affirmo (*afirmar*). (Cic. Att. 13. 23). Affirmo mihi offensionem esse possessiunculas.
Arguo (*arguir*). (Cic. ad. Her. 2. 46). Ut si quis quem arguat hominem occidisse.
Convincō. (Cic. Orat. 1. 40). Nihil te de hominum moribus didicisse convincerent. (*Harrian ver que nada habias aprendido de las costumbres de los hombres*).
Demonstro (*demonstrar*). (Cic. Fam. 3. 4). Fabius demonstravit me a te plurimi fieri.
Nego. (Cic. Orat. 3. 14). Negavit se vidisse. (*Dijo que no lo habia visto*).
Scribo (*escribir*). (Cic. Fam. 14. 3). Quod scribis te ad me venturam.

383. Nonnulla reperies etiam substantiva cum infinito, ut *opinio, fama, spes, auctor, testis, nuntius*; itemque adjectiva, ut *consciūs, ignarus, certior*, etc. (Cic. Att. 9. 8). *OPINIO est, Caesarem Formiis fore*. (Cic. Att. 9. 10). *SPES quaedam me obtentabat, fore ut aliquid conveniret*. (Id. Att. 2. 8). *Ecce tibi NUNTIUS, pueros VENISSE Roma*. (Id. Tusc. 2. 1). *Non sumus IGNARI, multos contra ESSE DICTUROS*. (Id. Att. 1. 5). *Numquam enim a Pomponia nostra CERTIOR sum factus, ESSE cui dare litteras possem*. (Id. Tusc. 2. 1). *Mihi sum CONSCIUS, numquam me nimis cupidum FUISSE vitae*. (Id. Fat. 6). *CERTUM in Fabio ponitur, ORTUM eum ESSE canicula oriente*.

N. B. 1.º Verba *gaudeo, laetor* et caetera, quae animi sensum significant, indicativum etiam habent vel subiectivum cum quod (390).

N. B. 2.º Verba *videndi*, ut *video, cerno, aspicio, conspicio, animadverto*, etc. quum significant percipere sensu, potius accusativum participii admittunt, quam infinitum: v. gr. (Cic. Som. Scip. 3). *Aspicias ad te VENIENTEM Paulum patrem*. Eandem constructionem amat *audio*, quum significat perceptionem immediatam, secus si mediatam significat: v. gr. *Audio te DICENTEM*. (Te oigo decir).—*Audio te MALEDICERE mihi*. (Oigo decir que me maldices). (Cic. Att. 7. 2). *Vellem a principio te audisse amicissime MONENTEM*.

N. B. 3.º Verba *sperandi, promittendi, minandi* gaudent fere futuro infiniti; at *spero pro censeo* admittit etiam praesens. (Sall. Cat. 59). *Sperabat propediem magnas copias se HABITURUM*. (Cic. Att. 6. 9). *Spero te jam bene VALERE*.

N. B. 4.º *Memini*, licet agatur de re praeterita, fere praesens infiniti postulat: v. gr. (Cic. Fam. 9. 16). *Memini te mihi coenam NARRARE*.

N. B. 5.º *Dico, scribo, respondeo, mitto* et alia similia, quum adhibentur ad praecipendum vel postulandum, subiectivum requirunt cum *ut* vel *ne*: v. gr. (Cic. Fam. 16. 4). *Scripti ut, si tibi videretur, te ad se TRANSFERRET*.

§ II. SIGNIFICATIO TEMPORUM INFINITI [63]

384. N. B. Modus infinitus, ut Priscianus docet (l. 8. p. 803), tempora habet conjuncta, praesens nempe cum imperfecto, perfectum cum plusquamperfecto. Hispani

vero, si verba n. 380 excipias, quibus infinitum subjiciunt, ut (Cic. Att. 2. 7) *videre te cupio, deseō VERTE*; alias fere circumitione infinitum latinum reddunt; utuntur enim verbis finitis praeposita particula *que*. Quo igitur facilius pueri percipiant quo tempore infinitus latinus sit interpretandus, singula tempora exemplis illustranda sunt.

385. **Praes.** SCIO (SCIAM, SCIVERO) te AMARE litteras. — SÉ (SABRÉ, HABRÉ SABIDO) que AMAS las letras.
Perfect. SCIEBAM (SCIVI, SCIVERAM) te AMARE litteras. — SABÍA (SUPE, HABÍA SABIDO) que AMABAS las letras.
Futur. SCIO (SCIAM, SCIVERO) te AMASSE litteras. — SÉ (SABRÉ, HABRÉ SABIDO) que AMASTE las letras.
SCIEBAM (SCIVI, SCIVERAM) te AMASSE litteras. — SABÍA (SUPE, HABÍA SABIDO) que HABÍAS AMADO las letras.
SCIO (SCIAM, SCIVERO) te AMATURUM ESSE litteras. — SÉ (SABRÉ, HABRÉ SABIDO) que AMARÁS las letras.
SCIEBAM (SCIVI, SCIVERAM) te AMATURUM ESSE litteras. — SABÍA (SUPE, HABÍA SABIDO) que AMARÍAS las letras.

N. B. 1.º Quae quidem significatio, si utrumque verbum inter se compares, inde pendet, quod *praesens* *infruti* ejusdem est temporis ac verbum princeps; *perfectum* vero ad ante facta referendum est, *futurum* tandem ad ea quae sunt postea facienda.

N. B. 2.º Imperfectum indicativi post verbum praesentis aut futuri, saepe effertur perfecto infinitivi. (Cic. Leg. Man. 8). *Dico ejus adventu urbem Asiae clarissimam Cyzicenum OBSESSAM ESSE ab ipso rege*; (... estaba sitiada).

N. B. 3.º Futurum passivum ex infinito *iri* et voce simili supino in *um* constat, ut *amatum iri, doctum iri, violatum iri, occisum iri*, omnibusque generibus atque utriusque numero attribuitur. (Cic. Att. 2. 20). *Addit etiam se prius OCCISUM IRI ab eo, quam me VIOLATUM IRI*. (Ter. Hecyr. Prol. 39). *Interea rumor venit DATUM IRI gladiatores*. (Cic. Att. 1. 18). *Etiam legationes REJECTUM IRI puto*. Circutio vero illa quae ex participio in *us* et infinito *esse* constat, officium necessitatemque potius, quam futurum tempus adsignificare videtur [346, 347].

386. *Fore ut, futurum ut* verbis *spero, puto, affirmo, suspīcor* et his similibus juncta, eleganter futurum infiniti tam agendi quam patiendi modi suppleunt; qua circumitione subvenitur verbis, quae supino carent. (Cic. Tusc. 1. 34). *SPERO, FORE UT contingat id nobis*. (Id. Att. 16. 16). *Numquam PUTAVI, FORE UT supplex ad te venirem*. (Id. Fam. 1. 6). *Valde suspīCOR, FORE UT infringatur hominum improbitas* [348].

N. B. 1.º Hispane futurum nonnumquam dubitationem significat, loquimur tamen de re praesenti: v. gr. *Creo que Pedro estará ya en Roma*. Hoc effertur latine ope praesentis: *Spero Petrum modo Romae ESSE*.

N. B. 2.º Ubi latini utuntur praeterito, quandoque nos usurpamus praesens: v. gr. *Satis est DIXISSE*. (Basta decirlo). *Satus est TACUISSE*. (Más vale callar). *Haec MEMINISSE juvabit*. (Gustará recordar esto). *Poteris DIXISSE*. (Podías decirlo).

N. B. 3.º In verbis deponentibus et passivis futurum secundum efficitur ex participio praeterito et *fore*; v. gr. *Spero me adeptum fore*. (Espero que habré alcanzado). *Sperabam epistolam scriptam fore*. (Esperaba que la carta habría sido escrita).

N. B. 4.º Circuitiones illae *amatum ire, doctum ire* et quae sunt generis ejusdem, potius praesens quam futurum tempus adsignificant [64 et 346].

ARTICULUS II. VERBA CUM SUBJUNCTIVO

§ I. SUBJUNCTIVUS CUM *ut*, *ut non*, *ne*, (*ut ne*)

387. Verba et loquutiones quae *eventum* significant, postulant post se subjunctivum cum *ut*, si propositio subordinata est affirmativa, cum *ut non*, *ut nihil*, *ut numquam*, *ut nullus*, etc., si est negativa. Ejusmodi sunt:

Accidit (*acaecer*). (Cic. Att. 1. 5). Neque accidit ut haberem qui proficisceretur.
Contingit (*acontecer*). (Nep. Trasib. 8). Huic contigit ut patriam vindicaret.
Evenit (*suceder*). (Brut. ap. Cic. Orat. 2. 55). Evenit ut in Privernati essemus.
Fit (*suceder*). (Cic. Somn. Scip. 1). Fit saepe, ut cogitationes pariant aliquid tale.
Sequitur (*siguere*). (Cic. N. D. 2. 32). Sequitur ut doceam.
Relinquitur (*resta*). (Cic. Inv. 1. 9). Relinquitur ut tria genera sint.
Restat (*resta*). (Cic. N. D. 2. 16). Restat ut motus sit voluntarius.
Est vitium. (Nep. Chav. 2). Est hoc vitium in civitatibus, ut invidia gloriae comes sit.
(En las ciudades hay el defecto, de que la envidia es compañera de la gloria).
Mos est (*hay costumbre*). (Cic. Brut. 21). Mos est hominum ut nolint eundem excellere.
Fuit hoc in. (Cic. de Orat. 2. 1). Fuit hoc in M. Crasso ut vellet.... *(M. Craso tenía que quería...)*

Reliquum est (*resta*). (Cic. Fam. 7. 34). Reliquum est, ut officiis certemus inter nos.
Integrum est. (Cic. Tusc. 5. 22). Ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret. *(Ni siquiera estaba en su mano el volver á ser bueno).*

N. B. 1.º Plura tamen junguntur aliquando infinito. (Cic. Pis. 24). *Non est integrum Pompejo, consilio jam uti suo* (n. 379).

N. B. 2.º *Tantum abest ut ea, quae terra gignit, bestiarum causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus.*

N. B. 3.º *Accedit* (se junta) etiam habet *ut* et subjunctivum, vel indicativum cum quod. (Cic. 2. Orat. 48). *Accedebat ut tu adolescens existimare.* (Cic. Att. 13. 21). *Accedit quod patrem, plus etiam quam tu scis, amo* (n. 392).

388. Postulant subjunctivum cum *ut vel ne* (*ut ne*):

1.º Verba *procurandi*, *faciendi*, *obtinendi* et similia.

Curo. (Cic. Att. 11. 3). Cura ne quid ei desit. *(Mira que no le falte nada).*
Do operam. (Cic. Att. 1. 5). Da operam ut convalescas. *(Procura restablecerte).*
Efficio (*conseguir*). (Cic. Amic. 16). Efficere ut jacentem animum excitet.
Facio. (Cic. Acad. 1. 2). Feci ut essent nota nostris. *(Hice que los nuestros lo conociesen).*
Labōro. (Cic. Fam. 16. 4). Nihil laboro nisi ut salvus sis. *(No me preocupa sino tu salud).*
Nitor (*esforzarse en que*). (Sall. Cat. 13). Nitebantur ne in eum consuleretur.
Perficio. (Cic. Arch. 2). Perficiam ut putetis. *(Acabaré por persuadiros).*
Pervinco (*alcanzar*). (Liv. 37. 46). Pervicerunt ut tenerent terram.
Prospicio (*mirar*). (Cic. Verr. 3. 58). Prospicere debemus ut pueritia munita sit.
Provideo (*proveer*). (Cic. Att. 13. 3). Provide ne quid ei desit.
Studeo (*desear*). (Caes. B. G. 7. 44). Studendum ut pabulatione prohibeantur.

2.º Verba *orandi*, *hortandi*, *compellendi*, *praecipendi*.

Addūco (*impeter*). (Cic. Tusc. 5. 32). Adducis me ut tibi assentiar.
Censeo. (Caes. B. C. 1. 67). Censebant ut noctu iter facerent. *(Eran de parecer que anduviesen de noche).*
Cogo (*obligar*). (Cic. de Orat. 3. 3). Coactus est ut vita se ipse privaret.
Decerno (*decretar*). (Cic. ad Brut. 1. 1. 5). Decrevi ut nomen inscriberetur.
Edīco (*ordenar*). (Cic. Pis. 17). Consul edicit ut senatus ne obtemperet.

Hortor (*exhortar*). (Cic. Fam. 9. 14). Quid est quod te hortet, ut gloriae servias?
Impello (*impeter*). (Cic. N. D. 1. 4). Quae causa nos impulit ut haec litteris mandaremus.

Moneo (*avisar*). (Cic. Fam. 4. 4). Monere aliquem ut fugiat infamiam.
Postūlo (*pedir*). (Cic. Att. 10. 4). Postulat ut apelletur tyrannus.
Precor (*rogar*). (Cic. Mur. 1). Precatus sum ut res prospere eveniret.
Praecipio (*ordenar*). (Cic. Amic. 16). Praecipendum fuit ut dil gentiam adhiberemus.
Statuo (*determinar*). (Cic. Phil. 2. 38). Statuitur ne sit Creta provincia.
Suadeo (*persuadir*). (Cic. Prov. Con. 42). Ut sibi essem legatus suasit.
Impēro (*mandar*). (Liv. 28. 33). Scipio imperat Laelio ut circumducat equites.

N. B. *Jubeo et veto* vix subjunctivum admittunt (n. 380. 7.º).

3.º Verba voluntatis.

Auctor sum. (Cic. Att. 15. 5). Mihi ut absim auctor est. *(Me aconseja que me vaya).*
Caveo. (Cic. Fam. 3. 12). Cave ne cui suspicionem des. *(Procura no dar que sospechar).*
Concēdo (*conceder*). (Cic. Planc. 3). Tibi concedo ut Plancum defendas.
Legem fero (*dar ley*). (Cic. in Senat. 5). Legem tulit ne auspiciis obtemperaretur.
Permitto (*permitir*). (Cic. de Orat. 2. 90). Quis Antonio permisit ut partes faceret?
Volo (*querer*). (Cic. Vatin. 7). Volo uti mihi respondeas.

N. B. Cum verbis *volendi*, *consiliandi*, *permittendi*, *suadendi* et *fac*, si brevis sit loquutio, saepe omittitur conjunctio. *Dic veniat—Fac valeas—Velim dicas—Cave hoc facias*, etc.

4.º Post verba *timendi*, ut *timeo*, *metuo*, *vereor*, *timor* vel *metus est*, vel *incidit*, *pavor capit*, *periculum est*, etc., adhibetur subjunctivus cum *ut vel ne non* (*ne nihil*, *ne nemo*, *ne nullus*), si cupimus rem evenire; at si rem minime optamus, cum *ne*. (Cic. Fam. 14. 2). *Omnes labores te excipere video: timeo ut sustineas.* (Temo no podrás llevarlos). (Cic. Caec. 28). *An timebant ne superare non possent?* (Que no podrían vencer). (Liv. 24. 42). *Pavor ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus Scipionis* [413].

N. B. 1.º *Hispane vereor ut est «temo que no,» vereor ne potest esse «temo que» vel «que no.»* Aliquando omittitur *que*. (Vide Bello n. 983).

N. B. 2.º Si *vereor* et *timeo* significant *non audere*, poscunt infinitum: v. gr. *Vereor dicere* (Conf. n. 380 et 381).

§ II. SUBJUNCTIVUS CUM *ne*, *quominus*, *quin*

389. α) Verba et loquutiones *impediendi*, ut *impedio*, *prohibeo*, *obsto*, *recuso*, etc., amant subjunctivum cum *ne* vel *quominus*; si vero antecedit negatio vel interrogatio, assumunt *quin*, aliqua etiam *quominus*.

Caveo (*guardarse*). (Cic. Fam. 3. 12). Cavebam ne cui suspicionem darem.
Contineo. (Ter. Eun. 5. 2. 20). Vix me contineo quin inolem. *(Apenas puedo dejar de ir).*
Impedio (*impedir*). (Cic. Sen. 47). Nec impedit quominus studia teneamus.
Deterreo. (Cic. Att. 11. 8). Neque te deterreo quominus disputes. *(No te aparto de disputar).*
Interdīco (*prohibir*). (Cic. Divin. 1. 30). Interdictum erat ne faba vescerentur.
Intercēdo (*interceder*). (Liv. 38. 60). Non intercedere quominus potestate utatur.
Obsto. (Nep. Milit. 3). Obstitit ne res conficeretur. *(Impidió que se acabase esto).*
Obsto. (Cic. N. D. 1. 34). Quid obstat quominus sit beatus? *(¿Qué es lo que impide que sea feliz?)*

- Prohibeo** (*prohibere*). { (Cic. Fam. 12. 5). Hiemem credo prohibuisse quominus haec fierent.
(Cic. Divin. 40). Quod potuisti prohibere ne fieret.
(Nep. Hannib. 12). Recusavit ne id postularent.
- Recūso** (*rehusar*). { (Caes. B. G. 4. 7). Neque recusare quin armis contendat.
(Cic. Fin. 1. 3). Neque recusabo quominus mea legant.
- Sto.** (Caes. B. C. 1. 41). Per Afranium stabat quominus dimicaretur. (*Afranio tenta la culpa de que no se pelease*).
- Teneor.** (Cic. Fam. 16. 24). Ego vix teneor quin accurram. (*Me cuesta el dejar de ir*).

β) Verbis dubitandi et omittendi, praecedente negatione, jungitur quin cum subjunctivo; item loquutionibus paulum vel nihil abest, fieri non potest, nihil est causae, deesse mihi nolo, etc. (Cic. Att. 1. 5). NON DUBITO QUIN tibi quoque id molestum sit. (Id. Att. 12. 26). Facere NON POSSUM QUIN MITTAM. (No puedo menos de escribirte cada día). (Id. Fam. 5. 12). Deesse mihi NOLUI QUIN te ADMONEREM. (Caes. B. G. 1. 3). NON ERAT DUBIUM QUIN plurimum POSSENT. (Liv. 42. 44). HAUD MULTO ABFUIT QUIN INTERFICERETUR.

N. B. 1.º Verba dubitandi, maxime sine negatione, saepe habent infinitum vel pertinent ad propositiones interrogativas (n. 402. N. B. 2.º).

N. B. 2.º Interrogatio aequivalet negationi: v. gr. (Caes. B. G. 7. 38). An dubitamus QUIN Romani jam ad nos interficiendos CONCURRENT?

N. B. 3.º Non possum quin cum subjunctivo, idem est ac non possum non cum infinito.

ARTICULUS III. VERBA CUM INDICATIVO VEL SUBJUNCTIVO

390. Verba quae animi sensum significant ut gaudium, moerorem, admirationem, praeter infinitum admittunt quod, raro quia cum indicativo vel conjunctivo. (n. 382 et 394. N. B. 2.º).

- Doleo** (*dolerse*). { (Caes. B. G. 5. 52). Tantum se deperdidisse dolebant.
(Cic. ad Brut. 1. 47). Dolet mihi quod stomacharis.
- Gaudeo** (*gozarse*). { (Cic. Amic. 4). Quem esse natum nos gaudemus.
(Cic. Leg. 3. 1). Gaudeo quod te interpellavi.
- Gratūlor** (*felicitar*). (Cic. Fam. 15. 44). Tibi gratulor quod te laus prosequuta est.
- Aegre fero.** (Cic. Tusc. 3. 61). Aegre fero quod acciderit. (*Siento que haya sucedido*).
(Caes. B. G. 7. 49). Indignantes quod conspectum hostes ferre possent.
- Indignor** (*indignarse*). { (Caes. B. C. 3. 408). Indignari coepit regem evocari.
- Irascor** (*airarse*). (Ovid. Met. 6. 269). Irascens quod ausi essent hoc superi.
- Laetor** (*alegrarse*). { (Cic. Rosc. Am. 47). Quae perfecta esse laetor.
(Cic. Phil. 11. 4). In hoc est laetatus, quod ea faceret.
- Miror** (*maravillarse*). { (Cic. de Orat. 2. 14). Mirari desine hunc posse.
(Cic. Arusp. resp. 22). Miror quod hominem violari patiuntur.
- Moereo** (*entristecerse*). (Cic. Q. F. 1. 3). Moereo quod tibi dolorem affert.
- Piget** (*tener pesar*). (Sall. Orat. Phil. contra Lep.). Piget recta facere.
- Poenitet** (*arrepentirse*). { (Cic. Orat. 2. 49). Me non didicisse minus poenitet.
(Att. 7. 3). Ipsi poenitendum puto, quod de sententia discesserit.
- Pudet** (*avergonzarse*). (Cic. N. D. 1. 39). Pudet me dicere.

- Queror** (*quejarse*). { (Cic. Att. 13. 2). Queritur a discipulis abesse.
(Cic. Acad. 4. 25). Non quereretur quod parum videret.
- Succenseo** (Plaut. Pers. 3. 3. 26). Id tibi succensui quia negabas. (*Me enfadé contigo porque lo negabas*).
- Facio gratum.** (Cic. Att. 2. 4). Fecisti mihi pergratum, quod librum misisti. (*Mucho me complaciste en enviarme el libro*).

391. Verba laudandi, vituperandi, accusandi, damnandi postulant quod cum indicativo vel subjunctivo significante causam laudis, etc. (Cic. Att. 5. 12). Tu me accusas, QUOD me AFFLICTEM. (n. 394. N. B. 2.º).

392. Indicativo cum quod exprimitur objectum alicujus iudicii, quod in primaria oratione saepe innuitur ope demonstrativi, adverbii vel adjectivi. Huc recidunt illa: Commode accidit quod..., bene facis quod..., fecisti mihi gratum quod..., accedit quod..., illud mihi occurrit quod..., ille maxime floruit quod..., quod si, nisi (ad transitionem). (Cic. Att. 15. 21). Accedit enim QUOD patrem AMO. (Id. Att. 8. 3). Omitto ILLA vetera, QUOD istum in rempublicam ille ALUIT, AUXIT, ARMAVIT. (Id. de Or. 1. 8). Hoc uno praestamus vel maxime feris, QUOD COLLOQUIMUR inter nos. (Id. Fam. 1. 6). Me in summo dolore maxime scilicet consolatur spes, QUOD valde SUSPICOR, fore ut infringatur hominum improbitas (1).

N. B. Haec constructio usurpatur, quum rem de qua iudicium fertur, certo evenire significamus; at si in genere loquamur, infinitus locum habet (n. 379. 3.º); v. gr. Crimen est vincire civem romanum. (Es un crimen atar á un ciudadano romano). Crimen est quod vincis civem romanum. (Estás cometiendo un crimen atando á un ciudadano romano).

CAPUT XIV

DE MODIS IN PROPOSITIONE SUBJECTA

393. N. B. Propositiones nomen a cogitatione quam referunt, mutuuntur. Itaque in causales, finales, consequutivas, condicionales, comparativas, quantitativas, concessivas, temporales, relativas et interrogativas tribui solent; quae omnes certis quibusdam conjunctionibus, fere etiam relativo efferuntur.

§ I. PROPOSITIONES CAUSALES

394. Causa vel ratio illa quam reddimus α) vel est VERA (i. e. realiter existens), β) vel FALSA.

α) Causa VERA indicativo exprimitur, praeuentibus conjunctionibus: 1.º quod, quia (porque); 2.º quoniam, quandoquidem, siquidem, quippe,

(1) Haec ne interpreteris per hispanum porque; sed vel per conjunctionem que, vel per alias loquutiones: v. gr. Nos aventajamos á las fieras en que conversamos entre nosotros. Haces bien en... Has porro orationes, itemque illas quae n. 387 continentur, vocant nonnulli propositiones declarativas.